







MEDITATIO PHILOSOPHICA  
DE  
LOGICA NATURALI,  
QVAM  
PUBLICO SISTIT EXAMINI  
PRÆSES  
M. LEONHARDUS HENRICUS  
MYLIUS,  
RESPONDENTE  
ADRIANO BRÜMMER,  
LIPS. PHIL. ET SS. THEOL. STUD.

D. 5. Mart. A. 1717.

---

*Galenus L. num Ars tuendæ sanit. ad Medic. spectet?*  
C. XXIV.

*Omnibus hominibus rationalis disciplinæ principia naturaliter sunt instita  
eaque cognoscunt.*

---

L I P S I Æ,  
LITTERIS IMMANUELIS TITII.

*J. W. Goetz.*







V I R O  
AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ET  
EXCELLENTISSIMO,  
D O M I N O  
JOHANNI HENRICO  
MYLIO Jcto,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI POLONO-  
RUM REGIS ET ELECTORIS SAXONIÆ IN SUMMO SE-  
NATU PROVOCATIONUM CONSILIARIO, SCABINA-  
TUS ELECTORALIS SENIORI ET FACULTA-  
TIS JURIDICÆ LIPSIENSIS  
ASSESSORI,

PARENTI OPTIMO  
HOC QUALECUNQUE STUDIORUM SPECIMEN  
DEVOTA MENTE  
SACRUM NUNCUPAT

FILIUS OBSEQUENTISSIMUS  
LeonharDVs HenrICVs MyLIVs.





## OPTIME PARENS,



*Arentum piorum  
consilia divinas  
esse vocationes  
vel ipse testis exi-  
sto. Tu nempe,  
PARENS HO-  
NORANDE,  
jam in tenera æ-  
tate studio me de-  
stinaveras Æsculapiano, Tuoque ni-  
xus consilio idem fui aggressus, quod  
nunc maximam mundanæ felicitatis  
meæ partem duco. Maximum etenim  
quod nominare possum, si a jucundita-  
te,*



te, quam in me sentio quam sit eximia,  
discesserim, in eo collocatum esse pa-  
lam profiteor, me cordatos, clementi  
ita dirigente Numine, nactum esse præ-  
ceptores, quos inter uti contigit Excel-  
lentissimo SCHACHERO, Viro omni  
laude mea majori, fidelissima manu  
me ducente, ad quem nunquam acces-  
si, quin abierim instructior. En! haud  
frustra, quod firme credideram, expe-  
ctavi: Tuum ad Artem Medicam con-  
siliū pro Divina mihi habendum vo-  
catione. Certissime insuper, fore, ut  
preces, quas ad cœlum quotidie fun-  
dis, mihi quæcunque suscipienti parent  
viam, speravi; hinc eo libentius susce-  
pi semper laborem, quo magis persua-  
sus sum ejusmodi mihi summam dedis-  
se Naturam Parentem, de quo, quod li-  
berorum fortunam suæ præponat, ne  
quidem anceps hæere possum. Igi-  
tur & ego Paternum Tuum animum




sincerum cumulatissime expertus, eo  
nunquam non omnem curam operam  
industriamque hactenus intendere stu-  
dii, ut Tibi, PARENS OPTIME,  
grata mens mea vel aliqua saltem ex  
parte innotescat. Quare ut publicum  
extet testimonium Teves has pagel-  
las obstrictissimi & devotissimi animi  
interpretes Tibi, VENERANDE  
PARENS, submisso offero; quas si eo-  
dem excipies animo & amore, quo me  
hactenus fuisti solitus, habeo quod opto,  
& per quod memet credo omnium li-  
berorum beatissimum. Dabam Li-  
psiae d. XXV. Mens. Febr.



## S U M M A R I A.

*Logica ut plurimum est contenta §. I. Unde sit fusius deducitur §. II. Logica est duplex Naturalis & Artificialis, Objectum utriusque commune insimul describitur §. III. Logica Naturalis Definitio traditur §. IV. Genus declaratur §. V. Subjectum ejusque requisita recensentur §. VI. & VII. Objectum §. VIII. De utroque movetur quæstio §. IX. Modus quo Subjectum versatur circa objectum exponitur §. X. Finis §. XI. Natura Logica Naturalis in quo præcipue consistat? §. XII. Coniungi debet cum artificiali, ubi cautela quædam observanda §. XIII. Differentia Log. Natur. & Artific. ostenditur §. XIV. Log. Artif. non spernenda, nam mentis cultura distinguit nos a brutis.*





I. N. J.

§. I.



IN Dissertationis frontispicio nominamus Logicam doctrinam per se satis nobilem & prestantem, utpote cujus beneficio omnes aliae artes fuerunt inventae aut excultae, (A) ~~quae nihilominus hodie multis nauseam movet non minimam, quaeque haud paucis fere sordet pariter atque indigna & nimis vilis videtur, cui ingenium impendant homines.~~ (B) Neque Logica osores juvat exemplum Imperatoris Maximiliani I. qui

(A) Unde scite Baco de Verulamio L.V. C. I. de Augm. Scient. Rationales scientiae reliquarum omnium claves sunt. Et quemadmodum manus instrumentum instrumentorum anima formarum, ita & illae artes artium ponendae sunt.

Et Allstedius inter alia Logicam commendat ob antiquitatem dicens: In veteri Testamento tempore potestatis patriae Logica naturalis viguit in inventione disciplinarum, in consideratione visionum & oraculorum divinorum, in dexteritate docendi filios apud Patriarchas &c. Encyclop. C. P. Lib. IV. Cap. X.

(B) Cavendum est, ait Thomaeus, quoad studium Logices maxime, ne id aut negligamus nimis, aut nimis extollamus. J. ad Phil. Aul. C. IV. §. XXIX.



ferur de nullo, cum imperium teneret, magis conque-  
 stus, quam quod in adolescentia sua a Præceptoribus plu-  
 rimum temporis tam inane, ut aiebat, terere atque præ-  
 ceptis logicis suum onerare ingenium coactus fuerit;  
 cum non de Logica, sed Scholasticorum futilitatibus lo-  
 gicis veniat intelligendus.

§. II.

Equidem multis hic in fontes, (C) unde tam ini-  
 quæ sæpe & præposteræ de studio logico præmanent sen-  
 tentiæ haud nostri erit instituti inquirere; annotasse saltem  
 sufficiat, corruptam humani generis naturam non pa-  
 rum huc facere, quæ mox a primordio ad malum præni  
 homines solliciti maxime de pascendo corpore, ipsius, si  
 male afficitur, sanandi sine mora gerunt curam, de mor-  
 bis animi corpus non statim afficientibus vix cogitantes,  
 cum perverso hominum generi corporis majorem quam  
 animi perquisitio oblectationem parere soleat. Et hæc  
 videtur ratio, cur etiam omni omnino tempore, si non  
 apud omnes plerosque saltem, qui artem sanandi corpus  
 addidicerunt, majore fuerint excepti honore, quam in-  
 tellectus sanationem præmoventes Medici s. Logici.  
 Dein & inter fontes unde tam mala quandoque de Logi-  
 ca arte profilit opinio, referri meritissimo jure potest  
 difficilis atque (ausim propemodum dicere) inanis sub-  
 inde eam docendi modus hinc & inde receptus. Fun-  
 damentum scilicet omnis artificialis Logicæ, Naturalem  
 puta, ut plurimum negligunt, quæ quamvis non semper  
 B neque

(C) D. G. Morhofius in Polyhist. Lib. II. Cap. IV. scribit: Si  
 quod res est dicendum est, plerique ita in his studiis versantur,  
 ut, cui fini inventa sint, parum curent; nam contenti rerum  
 & notionum summis generibus & syllogismorum tenui artifi-  
 cio, parum de usu ipso solliciti sunt.



neque plenarie ad omnes intellectus morbos depellendos suffecerit, habitualiter tamen supposita multum certe præstat; siquidem principium, quocumque titulo concederetur, quod in nobis est cogitandi, naturali præditum est facultate suas operationes magis magisque perficiendi.

§. III.

Accuratam hinc satis pariter ac utilem judicamus antiquam divisionem, qua philosophi Logicam in naturalem & artificialem dispescuere; intimam enim hujus scientiæ, aut si mavis artis, si penitius consideramus naturam, eam variarum intellectus operationum, & ut rem apertius eloquamur, nonnisi cogitationum, quæ in nobismet ipsis fiunt, observationem esse deprehendimus, quare passim artis cogitandi titulo eadem haud inconvenienter insigniri solet. Cogitationes vero, per quas illas nostræ mentis operationes, quibus eadem spirituum animalium motum sensuum ope excitatum, & demum ad cerebrum propagatum apprehendit & dijudicat, intelligimus, naturaliter in unoquoque vel indoctissimo homine sine omni artis aut modi cogitandi cognitione, æque ac hoc perspecto cum ejusdem usu in nobis peraguntur & percipiuntur. Ex quo clare, ni fallimur, & perspicue satis naturalem non minus quam artificialem nostrarum cogitationum dari cognitionem, liquet, quam Logicam in genere, in specie hanc artificialem, illam naturalem dicere moris est.

§. IV.

De Logica artificiali autem jam nobis non erit sermo, vastus enim librorum logicorum apparatus officinas librarias visitantibus exhibetur quotidie, quædam  
tamen



tamen de ea huc spectantia illi loco, ubi de discrimine  
 utriusque Logicæ agemus, proponenda reservabimus;  
 sed brevem nostram de Naturali tantum Logica hic ap-  
 ponemus meditationem. De hac vero ex instituto dis-  
 quisituri regulis bonæ methodi id exigentibus exordi-  
 mur tractationem a definitione. Est scilicet logica na-  
 turalis facultas intellectus humani habitualis, qua idem  
 nativa bonitate & solertia scit cogitationes proprias in  
 rebus percipiendis occupatas ita dirigere, ut verum a  
 falso discernere possit & modum illud acquirendi intelli-  
 gat. Nobis ergo naturalis Logica non pro rationis hu-  
 manæ viribus activis, uti nonnulli sumserunt, sed pro  
 harum virium exercitatione per experientiam acquisita  
 accipitur.

§. V.

Quemadmodum omnis definitio in conceptum  
 generalem ac specialem resolvitur, ita hic generis loco  
 intellectus humani facultas posita jure deprehenditur,  
 nam soli quidem intellectui inter mentis operationes  
 tribuimus facultatem conceptus formandi, ut fit in Lo-  
 gica, ea tamen non simplex sed varia omnino est; artes  
 quippe omnes aliqualem prærequirunt intellectus capa-  
 citatem, quin & ipsi Logicæ regulari hoc genus exacte sa-  
 tis convenire, nemo, quantum scimus, philosophorum  
 unquam in dubium vocavit. Apposuimus insimul et-  
 iam differentiam quam vocant genericam *habitualis* ubi  
 communi habitus vocabulo potentiam majorem &  
 promptiorem intellectus ex actuum frequentatione geni-  
 tam indigitamus, nisi enim in habitum hæc facultas dedu-  
 catur, vix ac ne vix quidem Logicæ merebitur nomen, om-  
 nis quippe Logica est *Practica* nulla *Theoretica*.



§. VI.

Hæc interim facultas intellectus habitualis a reliquis ipsius intellectus intuitu differt, hic enim in utraque Logica secus ac in aliis scientiis semetipsum considerat, dum in se descendendo proprias animadvertit operationes, ubi contra ea in reliquis omnibus disciplinis, quæcunque illæ sint, suis operationibus res extra se positæ humanus intellectus contemplatur. Ex frequenti tandem operationum suarum attente satis instituta consideratione oritur scientia iisdem rite utendi. Verum enim vero ad istam sibi acquirendam scientiam quilibet sane intellectus est aptus, si regulas in artificiali Logica præscriptas adhibeat, aut sine iisdem minime. Igitur e re fore arbitramur, ut curatius paulo subjecti, quod Logica naturalis agnoscit, naturam investigemus & quæ intellectus sint requisita, in quo adesse eadem dici possit, ponderemus.

§. VII.

Accuratius rem introspicienti haud videbitur mirum, si primum hic esse nativam bonitatem asseramus; hæc vero partim in facili, quæ in nobis sunt, operationum apprehensione, partim debita attentione, partimque iudicio vegeto, quod prævaleat necessario consistit, & si quæ huc spectantia dantur plura, hæc interim trigæ adeo videtur necessaria, ut si vel unicum ex iisdem deficiat, frustra naturalis Logica adesse putetur. At enim vero præterea quoque excitanda diligentia, quæ in locum alterius requisiti intellectum humanum ad Logicam aptum reddentis ponitur merito, tamen enim facili quis possideat a natura datam apprehensionem, nec sæpius velit apprehendere, nil quicquam is certe efficiet, quale



quale pariter de reliquis esto iudicium; ut taceamus diligentiam plurimum in omnibus rebus valentem & amorem ad studia naturalem id quod natura negavit fere consequi, ut adeo ejus necessitas tam sit clara, quam quæ clarissima. In quo autem vera consistat diligentia haud opus erit pluribus hoc loco indicare, illis enim non ignotam esse censemus, qui, ut solidam rerum scientiam & veram acquirant eruditionem omnem movent lapidem, utpote quos propria satis sufficienterque docet experientia. (D)

§. VIII.

Intellectus vero taliter constitutus circa seipsum, ut quodammodo e superioribus elucet, in Logica versatur. Duplici nempe solum modo mens nostra dum cogitando aut rectius percipiendo occupatur agit: vel enim per organa quinque sensuum externorum objecta, quæ extra se occurrunt, sentit, componit aut disjungit variasque sic sibi format ideas nunquam subinde in tota hac rerum universitate obvenientes; vel & sine iisdem seipsam existentem & vere cogitantem percipit, hoc saltem intercedente discrimine, quod sensu interno excitatæ cogitationes illis sint ut plurimum imperfectiores & obscuriores, quatenus dubio procul protoplastorum lapsu hac mentis caligine infecti sumus omnes. Posterioris itaque classis cogitationes imprimis constituunt objectum, circa quod intellectus in Logica est occupatus, cum tamen penitus a rebus abstrahi nequeant & illæ huc trahendæ, sub hac præcipue formalitate, qua in rebus percipiendis occupatæ cogitationes aberrant. Has aberrationes intellectus imbecillitates vocamus, quas tollere

B 3

inten-

(D) Conf. Claubergii Log. V. & N.P.I. Cap. XIX. §. 194.



intendit Logica, cum in nosmetipfos recedere & modum quo veri sensum assequimur & iterum perdimus observare jubeat: ut adeo perperam in eam nonnulli devenerint opinionem, qua existimant, Logicam plane objecto carere.

§. IX.

Requirat jam Dissertationis nostræ scopus, ut nunc moveamus quæstionem: An homines naturalis bonitatis & diligentia beneficio circa objectum §. antec. recensitum ita queant versari, ut revera imbecillitates & ægritudines intellectus tollant, acuant vero & introducant magis magisque ejusdem perfectiones sine Logica artificialis libellis communibus systematica methodo exhibitæ adminiculo? Non dubitamus affirmativam in nos suscipere sententiam, ob duas potissimum quas dabimus rationes. Prima est quod illiteratos multos plebejosque subinde deprehendamus homines, qui nullis studiis imbuti ac arte Logica nulla instructi nihilofecius propria judiciofa observatione eo pervenere, ut miro ordine cogitata proferre & concinne sermones formare poterint. (E) Hac ratione intellectum insigniter emendaverunt, emendatumque optime conservarunt, id quod multis constat exemplis h. l. parcius pro scopo nostro adhibendis. Sic Henricus Mommorancius (F) per solam experientiam sine omni studio litterarum ad tantam  
sta-

(E) Nostra verba haut parum confirmare videtur Claub. Prolog. §. 115. dicens: Respondemus posse hominem sine Magistri ductu, suo remigio e sola mentis suæ tabula & mundi vasto volumine studere; . . . . Et dari exempla eorum qui e semetipsis & mundi libro studentes magni viri evaserunt.

(F) Uti Gramondus Lib. I. p. 15. refert.



status & rerum civilium peritiam pervenit, ut iudiciis suis exquisitissimis per ambigua tempora juverit plurimos interque aulicos principem fere locum obtinuerit. Id ipsum etiam Philippo Cominæo Equiti Flandro contigit, qui experts studiorum excellenter scripsit, & actiones perfecit difficiles summo cum iudicio summaque cum omnium approbatione. (G) Quin imo omnes etiam optimos Politicos sola experientia perfici, multorum dogma est Politicorum: iudicii enim in qualibet rerum specie frequens exercitium reddit mentes probe iudicantes. Succedit jam causa secunda, qua evincere conabimur dari Logicam naturalem, uti eandem descripsimus, hanc fuisse omnium disciplinarum, imo ipsius Logicæ artificialis inventricem. Quomodo nempe quæso prima rerum & cogitationum scientia ortum sumit? an scripta aut viva voce? (H) id minime crediderimus, sed potius credamus ex propria mentis reflexione & inventionem, quæ spontanea nobis & sine regulis est, provenisse. Omnis enim scientia, teste Maximo Tyrio Dissert. XXVIII. aut discitur aut invenitur, qui addiscit, cum ex eo qui nescit scire nequeat, quæritur de Præceptore, ubi necesse est, & hunc vel invenisse vel didicisse; si ex alio didicerit, licebit & hunc interrogare unde? Quando autem desinemus tandem, quove loco consistet discendi ex aliis modis?

(G) vid. Joh. Andr. Bossii Dissert. de Comparanda prudentia civili §. 43.

(H) Quemadmodum omnis cognitio duplici potissimum ratione vel scripta vel viva voce acquiritur, ita sapius ex eruditorum non quidem instructione sed sola conversatione sine libellorum logicorum usu veras non raro Logicæ artificialis haurimus regulas, quas si postmodum applicemus cum effectu, is certe artificiali Logicæ esset adscribendus.



dus? Neceſſe eſt enim tandem ad eum nos deducamur,  
 qui non didicit ſed invenit. Ratio ſibi relicta, tamenſi in  
 plerisque mortalium maxime ſit corrupta, per naturam  
 tamen ſimul maxime prona eſt ad obſervandam animad-  
 vertendamque operationum ſui ipſius varietatem, ad di-  
 ſponendas eas, emendandas, & ſic porro, quare pruden-  
 ter Philo de Herede rerum divinar. dixit: Scientiæ prin-  
 cipium natura eſt.

§. X.

Subjectum Logicæ naturalis ſ. ratio ſibi relicta quo-  
 modo naturaliter comparata eſſe debeat, ut & objectum  
 circa quod verſatur jam declaravimus; ordinis hinc abſ-  
 nobis exigit ratio, ut, dum ſupra diximus proprias men-  
 tis cogitationes ipſum Logicæ naturalis conſtituere obje-  
 ctum, in modum inquiramus, quo illa ſuas examinet co-  
 gitationes corrigatque. Deprehenduntur autem illæ  
 duplices, duplicem quoque hinc nobis concipiamus mo-  
 dum neceſſe eſt, primum ratione perfectionum & ſecun-  
 dum ratione imbecillitatum, quibus intellectus ſcætet.  
 Perficitur quippe magis magisque ratio, dum ante omnia  
 in ſuarum cogitationum naturam (I) inquirat. Hic  
 enimprehendit in ſe facultatem cogitandi ſ. quod idem  
 eſt conceptus formandi de præſentibus, præteritis & fu-  
 turis i. e. componendi res ſenſui obvias inter ſe & a ſe diſ-  
 cernendi, nec non retinendi ſicque porro, quæ intellectus

ope-  
 (I) Per Naturam hic neutiquam ſubſtantialem & formalem prin-  
 cipii, quod in nobis eſt cogitantis rationem intelligi volumus, hæc  
 enim quemadmodum hætenus per multa ſecula latuit, quamvis  
 maximus eruditorum numerus in ea detegenda deſudaverit &  
 nihil Philoſophantium ingenia omni omnino tempore magis ex-  
 ercuerit, quam ejus perſcrutatio, ita forſan eadem in omnia ſe-  
 cula manebit occulta.



operationes omnes nonnisi certæ cogitationum sunt species. Dein animadvertit, quod ex his operationibus varie junctis oriatur scientiæ pro diversitate objectorum diversa, quodque præterea in semetipsam reflectatur, & suarum in rebus percipiendis occupatarum cogitationum sit conscia. Postea veritatem suarum cogitationum, dum scilicet examinat quousque fides cogitationibus sit habenda, perpendit; quanquam hic sæpius eruditos eheu quam plebejos & rusticos impingere videamus. Hi enim puram Logicam naturalem sequuntur, illi dum intricatis & plane inutilibus subinde controversiis, imo subtilitatibus meris involvuntur, vel amittunt veros veritatis characteres, vel non inveniunt, vel inventam veritatem nimio subtilisandi, sit Barbarifimo venia, studio sæpius inanibus verbis obscurant. Apud illos vero verum obtinet principium cognoscendi, sensus scilicet, id quod vulgus vulgari exprimere solet loquendi formula: *Wann ich es glauben soll, muß mir der Glaube in die Hand kommen.* Sensus autem, quibus accurate res exploramus, vere nos ad veritatem ducere recto tramite experientia omnes edocemur. Item dum cogitata per temporum intervalla variari & discrepari valde, quum tamen unica cujuscunque rei sit veritas, observant homines, non una vice sed frequenter rei ejusdem considerationem, & cum aliis prudentioribus deliberationem instituunt: ut imprimis prudentes mercatores, qui nunquam certe artificiali Logicæ dederunt operam, facere deprehendimus, ni falli cupiant, ut cæteros taceamus. Nonne vero eodem procedit modo Logica artificialis, quæ naturali ceu fundamento, ut infra apparebit, est superinstructa? Imbecillitates, quibus mens sæpe scatet, quod concernit, tolluntur ex eodem modo, & dum sibi quoad præjudicia variis modis prospici-



cit Ratio s. Intellectus & præcipue apud Christianos devota Sacri Codicis lectione. Sane in hoc omnium convenientissimus imbecillitates, quæ menti obrepunt, tollendi habetur modus.

§. XI.

Verum denique aut falsum quid sit, quoque modo meliorem illud inveniendi viam sequi debeant? optime Logica naturali donati norunt. Cognoscunt hi veritatem in genere, ut in præcedentibus explicatum invenis, secundum genuinum principium & in specie circa res ipsas, in quo verus Logicæ finis certe consistet tandem, quem mens sic nativa quoque vi potest acquirere, & si quæras ulterius, undenam hi veri falsique dijudicationem acquisiverint, respondeamus, quod ratio longo exercitio & multifaria rerum consideratione in habitum deducta capax demum reddita sit. Hoc ipsum indigitavimus in definitione §. IV. data, de quo mox ex instituto verba facienda. Adeoque veritatis inventio tanquam finis Logicæ omnis hic recte asseritur, dum enim nos præparat ad veritatem dijudicandam, simul invenimus.

§. XII.

In habitum nempe illa intellectus humani facultas deducta proprie Logica naturalis nomine insignienda erit, nam haud in quovis homine, cui inest bonum naturale lumen, reperienda eadem est, sed in per paucis invenitur, naturale enim lumen cum Naturali Logica non est confundendum, hæc quidem illud præsupponit, ast non v. v. Naturale lumen in sola consistit capacitate sine actu & exercitio, quid autem sine hoc illa? Logica contra ea naturalis præterea semper semperque agnoscit habitum, & nunquam non effectum post se relinquit manifestum, hocque nisi foret, nec esset Logica sed sola facultas. Habitus autem talis a falso verum discernendi, si tollantur intellectus nostri



frivitia, acquiritur, quæ ad unum omnia ut paucis multa comprehendamus in  $\tau$  non recte cogitare consistunt, varia hinc in artificiali Logica ad ea nisi penitus ex parte tamen exstirpanda, præscribuntur regulæ, quæ si rite fuerint adhibita, ut verum & falsum dijudicantes illud eligamus efficiunt. Mens nostra ex exemplis fiet clarior v. g. in Logica systematica præ aliis regulæ dantur sequentes ad veritatem examinandam: 1) Meditare 2) Repete 3) Communica; quod si has debite, prout te scripto comprehensa Logica docet, applicaveris, non poterunt non veri falsique in te sensum excitare, id quod in semetipso quis comprobatur animadvertet. At enim vero quod regulæ in systemate præscriptæ id in Naturali Logica diligens efficit annotatio. Cui enim natura benigna providenter dispositionem ad talem habitum introducendum concessit naturalem, is quoque naturæ stimulo & admonitione modum quo in intellectus operationibus peccat non solum observat, verum etiam de medela & ad hanc necessariis remediis sollicitus ipsius naturæ ductu attentam sui ipsius considerationem & rerum peragendarum deliberationem non raro instituit. Postea cum observat sæpius se falli, ita quidem ut alio tempore de re cogitans eadem aliter subinde sentiat, & cogitationes posteriores ut plurimum prioribus esse meliores percipiat, non raro altera tertiaque vice rem unam examinat & perpendit. Tandem dum quod oculi plus videant quam oculus ejusmodi homo observat, deliberata amico aperit, id quod plebejos inter familiarissimum. En! Benevole Lector in eo qui nulla ratione scripto comprehensam Logicam coluerit, rium ibi datarum regularum effectum manifestum non folius luminis sed Logicæ naturalis beneficio productum, quale pariter habe judicium & de reliquis tantum non omnibus regulis, quas brevitas ergo jam non recensebi-



mus. Ponamus ergo homines modo jam enarrato mentis suæ imbecillitates sustulisse, & conceptus regularum Logicæ Artificialis ministerio acquisivisse veriores, sed infcios ubi præscribantur adhibuisse, jure tamen effectum hunc non artificiali Log. sed solitarie Naturali Logicæ tribuendum esse existimamus, cum illam non legerint, neque quisquam eos docuerit, neque etiam cum harum rerum peritis versati fuerint. Quare & nostra ætate deprehendimus, rarissimas & excellentissimas veritates viris serio meditantibus sine ulla artificialis Logicæ applicatione obvenisse. Ars tota vitriaria & tuborum inventio culta & inventa est fortuito casu meditantibus: & inter mechanicos optumarum machinarum inventores sunt non optumi Logici, sed optume experti, & serio meditantibus rustici etiam aut molitores. Melius ut plurimum de moribus judicant variis casibus exercitati ex vulgo, quam doctissimi viri adhibito omni logico apparatu systemata conscribentes. Quin imo obruta mens tot regulis, observationibus, cautelis methodisque sæpe magis obtunditur quam juvatur: pauci enim de rebus serio & simul de artificialibus regulis norunt cogitare.

§. XIII.

Quemadmodum autem animarum dotes differunt valde, ita etiam naturalis hæc verum & falsum dijudicandi & inveniendi bonitas in uno est major quam in altero. Quare ut in mechanicis vim unitam videmus fortiolem, ita optime nobis consulimus, si non terminis solis ludentem iisque aures obtudentem circa ea quæ naturali lumine sciuntur & nemo non ignorat, sed saniolem artificialem Logicam superstruamus naturali. In iis vel maxime, ad quæ hæc non sufficit, artificialis requiritur; quæ uti revera ex naturali est orta ita manca supplet, obscura reddit clariora, & difficilia faciora. Id quod si fiat, dici non



non potest, quanta hujus sororii nexus sit efficacia in veritatibus perscrutandis, inveniendis, dijudicandis uno verbo quam egregie hoc modo succurratur studiis. Nolumus insuper rem in aprico sitam illustrare ulterius, quum presenti seculo exempla eorum, qui effectum hujus combinationis exhibent quotidie, & Logica directi magni quid præstiterunt, haud desint. Cavendum nihilominus esse certissime persuasi sumus, ne quis continuo Logicæ huic artificiali, quatenus est pars Philosophiæ a facultatibus superioribus sejuncta, inhæreat, sed potius quam citissime id fieri potest, imprimis Logica naturali instructus, (K) realibus se det disciplinis, & ad Logicam in suo dicendi genere realem, (L) nunc Theologicam, nunc Juridicam, nunc Medicam accedat; alias enim metuendum fore arbitramur, merito jure ipsi applicandum proverbium: Purus putus Logicus est purus putus asinus; quid enim quæso solius modi veritates acquirendi juvabit cognitio, nisi, quod sane omnis Logicæ finis esse debebat, in usum deducatur.

§. XIV.

Instituti nunc postulat ratio, ut quod naturali cum artificiali Logica intercedit discrimen breviter exponamus.

Logica nempe naturalis ex ratione cuius a summo Deo elementissime concessa sibi que relicta oritur; ipse enim

C 3

(K) Sicut medicamentis non cruciandus æger, inquit Claubergius, ubi facilius natura sanat: ita ubi ratio *vi nativa* & per se ipsam facilius rem assequitur, non est præceptis logicis oneranda. Log. V. & Nov. P. I. C. II. § XIII.

(L) Per hanc vere practicam Logicam examinandum est, quid in qualibet facultate occurrat difficultatis & obscuritatis, quænam sint causæ aut occasiones, cur de his vel illis materiis absurda aut deceptoriam formentur judicicia, quomodo eadem tolli aut minui queant, quibus e contrario adminiculis ad recte judicandum vel maxime sit opus & sic porro.



enim Deus primos homines satis declaravit aptos verum a falso discernendi Genes. Cap. II. v. 22. Etiam si vero post eorum lapsum maxima hujus imaginis Dei s. Rationis pars fuerit amissa aliquam tamen ejus partem residuam quivis in se facili animadverter negotio. Contra ea artificialis, si originem spectes, producta est ex naturali; sine hac enim illa ne mente quidem potest concipi.

Logica naturalis est facultas nativa & habitus solius rationis usū acquisitus; artificialis e contrario arte facta, si ita loqui fas est, facultas & habitus regulis comparatus est, dum nempe præter nudas & naturales cogitationes producit & artificiales.

Logica naturalis quævis obvenientia naturæ dictamine dijudicat; Logica artificialis jamdum cognita dirigit, deducit, ordinat, roborat.

Logica naturalis præsupponit hominem nativa sui intellectus bonitate præditum, cum tamen omnis certe homo capax existat Logicam addiscendi artificialem; neminem quippe tam stupidum credimus, qui non adhibitis regulis Logicæ artificialis progressu temporis suas cogitationes ordinare, ordineque proponere didicerit, hic enim est effectus Logices.

Logica naturalis dum longa rerum acquiritur observatione non tam prompte & expedite veritatis in nobis excitat inventionem & dijudicationem, quam artificialis, cujus ministerio eadem citius maturefcit, & solidius efflorescit.

Logicæ tandem utriusque fines solum gradu differunt; naturalis nempe in possessione veritatis ac perceptione aliquali, & ex parte dubitativa acquiescit, artificialis vero ulterius progreditur, & ut verum falsumve certo sciamus vel saltem probabilius efficit.



§. XV.

In ea tandem acquiescimus sententia, quod solius Naturæ ductu comparatus habitus saniori Logica artificiali & Regulari juvari debeat, si conditio & tempus permittant; quodque hoc ita collocatum non teratur inutiliter, imo Logicam probe annotante Plutarcho reliquis omnibus scientiis præferendam, ut adversus Colot. scribit: *Non est quod speres aliarum rerum scientiam, si te fugit ejus, quod tuorum potissimum est cognitio.* Ex quo præterea liquet sine Logica frustra vel ullam solidam cognitionem expectari; quotidiana enim experientia quæ diximus abunde confirmat, quum neminem fugiat, quemvis in præstantissima hac arte rite versatum brevi temporis intervallo miratu certe dignos artis suæ profectus facere, & contra ea utilissima hac scientia orbatos nunquam non, dum multa legunt aut non seligunt, confusam rerum sibi comparasse cognitionem. Omnes scientiæ, omnes omnium disciplinarum & facultatum species per hanc artificialem Logicam naturali superinductam ad Systematicæ culturæ dignitatem pervenerunt. Quem influxum superiores facultates ita senserunt, & sentiunt etiamnum, ut pro logicis bene aut male cultis probe aut perverse conceptis, eandem fere faciem necessario sumserint. Jam non dicemus culturam mentis facultatum principem eruditionis constituere partem, qua certe a brutis sese distinguunt homines; at enim vero Philosophia rationalis est illa disciplina quæ MAXIMAS seu regulas operationes nostri intellectus dirigendi proponit, quare multis extollere laudibus & commendare artem hanc nobilissimam haud erit opus, siquidem ab instituto nostro alienum &

*Suspendere vino*

*Per se vendibili non opus est bederam.*

S. D. G.



COROLLARIA.

I.

*Homines neque naturali neque artificiali Logica donati a brutis parum differunt.*

II.

*Materno ergastulo adhuc dum inclusis cogitatio denegari vix potest.*

III.

*Sensuum testimonium certam præbet cognitionem.*

IV.

*Sensus omnes spirituum animalium ministerio perficiuntur.*

V.

*Mens materiae expertis magis creditur quam probatur.*

VI.

*Nil quicquam propria cognitione percipiendum a lege dubitandi excipitur.*



01 A 6731

ULB Halle

3


004 122 828











MEDITATIO PHILOSOPHICA  
DE  
LOGICA NATURALI,  
QVAM  
PUBLICO SISTIT EXAMINI  
PRÆSES  
M. LEONHARDUS HENRICUS  
MYLIUS,  
RESPONDENTE  
ADRIANO BRUMMER,  
LIPS. PHIL. ET SS. THEOL. STUD.

D. 5. Mart. A. 1717.

---

*Galenus L. num Ars tuenda sanit. ad Medic. spectet?*  
C. XXIV.

*Omnibus hominibus rationalis discipline principia naturaliter sunt insita  
eaque cognoscunt.*

---

L I P S I Æ,  
LITTERIS IMMANUELIS TITII.

*St. Boes.*

